

Digitales Brandenburg

hosted by **Universitätsbibliothek Potsdam**

Cl. Gal. De Vsv Partivm Corporis Hvmani Libri XVII.

Galenus, Claudius

Lugduni, 1550

LIBER SEPTIMVSDECIMVS.

urn:nbn:de:kobv:517-vlib-42



GALENI DE

VSU PARTIUM COR-

PORIS HVMANI LI-

BER SEPTI-

MVSDECI-

MVS,

*

Nicolao Regio Calabro
interprete.

* * *

Quid differat actio partis ab eiusdem vsu.

C A P. I.



ULTIMVS mihi hic liber adhuc
de vsu partium corporis humani
superest. Nihil enim relinquitur,
cuius speciatim nō meminerimus.
Sed quoniam vsus in omnibus
non est equalis, neq; idem: satius utiq; fuerit de ijs
definiuisse, & quod cuiq; ipsorum est proprium,
indicasse. Partis igitur actio ab eiusdem vsu (ut
antea diximus) differt, quòd actio quidem motus
quidam est actiuus: vsus verò nihil aliud est,
quàm quod vulgo appellatur *ἔχονσις*, id est, ad
utendum aptitudo quaedam. Porro actionem mo-

tum

tum esse dixi actiuum, quod pleriq; motus fiant, patiendo quos sanè passiuos etiam nuncupant, qui tum partibus quibusdam accidunt, cum ab alijs mouentur. Is enim motus inest ossibus quæ in brachijs & cruribus sunt, fitq; à musculis qui ipsis insunt, nunc quidem extra, nunc autem intra ad articulationes ossa mouentibus. Quod si ipsum primum mouens (quod est princeps animæ facultas) respexeris, musculi rationem instrumenti habebunt: sin id os quod ab ipsis mouetur, * non hanc, sed effectoris habebunt rationem. Prima itaq; utilitas animalibus ab actionibus accedit: secunda, à partibus. Nullam enim partem propter seipsam habere cupimus. Superuacanea enim ita esset, si actione esset orbata, & abscindenda potius quàm optanda. Præterea si quæ esset in corpore animalis pars eiusmodi, haudquaquam diceremus eius aliquem esse usum. Cùm autem neq; in homine vlla sit eiusmodi, neq; in alio animali, idcirco naturam prædicamus esse artificiosam. Equidem quod mihi accidit, cum primum elephantæ sum conspicatus, referam: quod facile intelligent, qui id animal sunt conspicati: qui autem non viderunt, non magno negotio intelligent, si modo mentem ijs quæ dicturus sum, attenderint. Habet enim hoc animal quo loco alijs est nasus, partem quandam pendentem, angustam ac longam ad eò, vt ad terram pertingat, quam cum primum sum conspicatus, superuacaneam atq; inutilem esse putavi:

* Et hanc
quidè, sed
& effecto-
ris, ait cod.
Græcus.

putavi: cum autem animal ipsum vti ea pro manu animaduerti, tunc non amplius ipsam iudicavi esse inutilem, quod vsus huius partis cum actione utili esset coniunctus. Quandoquidem partis vsus ita demum apparet, si actionem habeat utilem. Elephas igitur extrema huius manus parte sic omnia tractat, atque ita rebus apprehendendis applicat, ut ne minima quidem numismata ipsum effugiant, quæ etiam, sublata proboscide (sic enim partem eam vocant, de qua nunc agimus) rectori qui sibi insidet, tradit. Quemadmodum igitur si animal parte hac non vteretur, ipsa esset superflua, et natura quæ ipsam conformasset, non ubique esset artificiosa: ita cum actiones per eam obeat utilissimas, ipsa quidem est utilis, naturam autem ostendit esse artificiosam. Postea verò cum ipsam animaduertissem in fine esse perforatam, intellexissemque præterea animal ipsum per foramina illa velut per nares respirare, cognoui sanè eum quoque vsus animali partem hanc præstare. Postquam autem mortuo elephante, usque ad radicem partis ipsius dissecans, meatus, qui à foraminibus sursum feruntur, reperi non aliter quàm in nobis exitum habere duplicem: vnum quidem qui ad ipsum cerebrum perueniebat, alterum autem in os perforatum, impensius adhuc naturæ artem sum admiratus. Vbi autem etiam didici, ipsum animal, cum fluuium, aut lacum profundum traiecit, ut totum ipsius corpus demergatur, per sublatam

latam in altum hanc proboscidem respirare: natura providentiam intellexi non in eo duntaxat, quod partes omnes ipsius animalis pulchrè construxerit, sed quod ipsum etiam eis vti docuerit: quemadmodum initio totius operis demonstravimus. Porro ad artem nature cognoscendam, ab ipse fuerit, totum corpus animalis extrinsecus inspexisse, ac cuiusque partis actiones considerasse, ijs saltem qui ita sese compararunt, vt eas iuste considerent ac dydicent: non autem vt inimici naturam calumnientur. Quoniam autem nonnulli corporum elementa ea substantijs initio posuerunt, vt nature artificio coniungi nequeant: bellum aduersus eam coacti sunt suscipere. Quod autem ea coniungi nequeant, hinc discas licet. Quod aliquid artificiosè est formaturum, aut extrinsecus tangat id quod formatur, aut totum ipsum peruadat, est necesse. At cum atomos quæ nonnulli statuunt elementa, quicquam aut extrinsecus tangendo aut per totum se intus inserendo, ne ipsi quidem dicant conformandi vim habere, relinquatur ipsis fortuito concursu inter se coherentes, corpora sensibilia constituere. At quæ ita temere coherent, raro quidem opificium utile efficiunt, contra autem sæpenumero inutile ac vanum. Ea certè est causa, quæ eos viros, qui prima rerum principia corpora eiusmodi esse adstruunt, cuius generis sunt qui atomos introducunt, perpulit vt naturam negarint esse

esse artificiosam. Cùm enim statim extrinsecus
videamus aperte nullum animal ullam partem
habere inutilem, attamen conantur ij aliquam
ad contradicendum arripere, quæ prima facie,
aut in dissectione talis appareat, ea sanè ra-
tione partes omnes explicandi necessitatem no-
bis imposuerunt, ut ad ea etiam descendere si-
mus coacti, quæ nihil habent momenti, aut ad
curationem, aut ad prænotationem, aut ad mor-
borum dignotionem, ut cum consideramus, qui
musculi, & quot linguam mouent. At eo
certè nomine mihi subit viros illos admirari,
qui naturam aiunt arte carere, si statuarios
quidem laudant, cùm partes dextras sinistris
equales omnino fecerint: naturam autem non
laudant, quæ præter partium æqualitatem, actio-
nes etiam exhibuit, ac præterea statim ut ani-
mal fuit genitum, earum usum, ipsum edocuit.
An Polycletum quidem admirabimur propter
partium statuæ (quæ Regula fuit appellata)
conuenientiam ac proportionem: naturam au-
tem non modo non laudabimus, sed omni etiam
arte priuabimus? quæ partium proportionem non
solum extrinsecus more statuariorum, sed in
profundo etiam seruauit. Non'ne & Polycle-
tus ipse nature est imitator, in quibus saltem eam
potuit imitari? potuit autem in solis externis par-
tibus, in quibus artem considerauit: ab ijs quæ ma-
ximè sunt in promptu, auspiciatus, quarum ma-

nus vna est, instrumentum homini maximè proprium, quinq; habens digitos in latos vngues desinentes, in quoq; ipsorum tres articulos ac motus: quot, & quales libro primo exposui, quæ omnia plena sunt summi artificij. Atqui vt hæc omit- tam, ipsa equabilitas artem præ se fert admira- bilem, quam statuarj multis freti instrumentis, egrè tamen assequuntur. Omitto magnitudinis in partibus omnibus proportionem, vt in manu ipsa, quam libro primo ostendimus à natura factam fuisse ad apprehensionem, quo modo crus ad ambulationem. Considera autem quo pacto natura in magnitudine ipsius, summa symmetria est vsa. Cum enim membrum hoc à scapulis pendeat: graue omnino ac gestatu difficile, atque ad actiones ineptum fuisset, si ad pedes vsq; extensum esset: ac multo id magis si ad terram demissum tra- heretur: tametsi ad aliquid accipiendum quod esset remotius, tantò magis esset idoneum, quantò longius. Quia verò parua quidem manus quan- tò leuior est ac portatu facilior, tantò deterior est ad ea quæ longè sunt distita, apprehendenda: quæ verò ad ea apprehendenda est utilis, ea grauis ac gestatu difficilis erat futura: magnitudinem eius eousq; auxit, quatenus gestatu difficilis non sit. Ei igitur qui nature opera verè examinat, vel manus sola ante anatomen visa, sufficiat. Qui verò nature est (vt dixi) inimicus, etiamsi artem, quæ intus in ipsa manu est abdita, fuerit conspi-
 catus

catus (quã nos primis duobus libris exposuimus) ea tamen que ipse viderit, magno studio ac sollicitudine reuoluit, captans aliquid quod queat calumniari. Ad eundem autem modum & in cruribus, si quis magnitudinis symmetriam, ac motus cuiusque vtilitatem verè examinarit, nõne artem nature non laudabit modò, sed etiam admirabitur? Si enim animo finxeris hominem aliquẽ crura habere parte duntaxat dimidia, proportione decenti constructa: intelliges (opinor) primum quidem corpus quod superiacet, quã graue ipsi erit ac gestatu difficile: secundo, quã periculosa eidem erit ambulatio: postremo, quã erit ad cursum impeditus. Ad eundem modum & femoris ad tibiã, & tibiẽ ad pedem, proportionem considerans, summam quandam nature artem inuenies. Quemadmodum rursum & partium, que tum pedi ipsi, tum summe manui insunt. Nam huius quoque partes mirabiliter inter se consentiunt, quomodo certè & brachij partibus ad vlnã & vlnẽ ad summam manum, & huius etiam partibus inter se incredibilis quedam est proportio. Atque hæc omnia artem opificis ostentant. Quin & digitorum duntaxat proportio, ei certè qui nature inimicus non fuerit, eandem artem ostenderit. cur enim nemo adhuc digitos triplo maiores quã nunc sunt, aut cur rursus eosdem non equè paruos habuit, vt est cuiusque ipsorum primum internodium? ad quod equidem respõdeo,

quod magnitudines eiusmodi utilitatem ipsorum
 vitarent. Tu autem operum nature generosissi-
 me calumniator, nihil horum consideras, sed si in-
 ter decies mille sexcentos homines vni aliquando
 digitos sex procrearit, id solum considerans. At
 si Polycletus exiguum quiddam eius generis in
 mille statuis peccasset, haudquaquam ipse eum ac-
 cusares, & si quis ei id obiceret, malignum eum
 esse diceres. Id igitur ipsum conuerte ac considera,
 quid tandem dicas si in mille quidem hominibus
 natura peccasset, in vno vero solo recte egisset,
 nonne quod rite cessisset, fortuna diceres non ar-
 tis opus esse? Quod si in decies mille, id multo
 magis dicas: nunc autem cum non in mille, ne-
 que in decies mille hominibus, sed ne in decies
 quidem sexcentis quidquam videamus ab ea fuis-
 se peccatum, que ipsa recte egit, ad fortunam
 audes referre? mirabili certe equitate in natu-
 ram vtereris. Quod si tragædorum aut comæ-
 dorum certamini interesses, eum ne qui alijs sex-
 centis præclare gestis in vno lapsus esset, vt im-
 peritum damnabis: laudabis autem eum vt pe-
 ritum, qui semel recte se gesserit? deliramenta
 hæc planè sunt, hominumq; officia, qui elemen-
 ta, que initio malè posuerunt, tueri turpiter co-
 nantur, que cum videant labefactari, si natu-
 ra concedatur esse artificiosa, eiusmodi impuden-
 ter effutire coguntur: quanquam, vt dixi, ni-
 hil opus erat, omnes corporis partes per anato-
 men

men eruere. Nam vna quæuis extrinsecus conspe-
 cta, satis esse poterat ad artem eius, qui ipsum
 condidit, ostentandam. Nec certè attinet aurium
 aut superciliarum equalitatem, ac vsum comme-
 morare, aut palpebrarum, *vel pupillæ, aut cuius^{* Vel cilio}
 vis eiusdem generis, quæ vim nature incredibi-^{rum, addic}
 lem ac sapientiam declarant, cum satis id quod^{græc. cod.}
 in promptu est, quodq; cutim appellamus, artem
 ipsius possit ostendere. Si quis enim ipsam per se
 considerarit, videritq; in multis quidem partibus
 eam sibi ipsi esse continuam: in paucis autem qui-
 busdam foramina habere: sciet vtrum partibus
 illis temerè sit perforata, vt si nihil per ea fora-
 mina in corpus ingrediatur vtiliter, aut ex eo-
 dem exeat, an omnium vtilitas sit maxima.
 Nam aliud quidem horum foraminum, quò cibus
 ac potibus & præterea aëri nobis circumfuso esset
 ingressus, exitit: aliud verò, quò humidis ac siccis
 excrementis esset exitus, superius spiritui per na-
 res est ingressus, inferius semini est exitus (excer-
 nendorum tamen excrementorum causa alij mea-
 tus sursum ad cerebrum per nares perueniunt) ali-
 bi corpus foraminibus pertusum reperias, vt per
 ea foramina animal possit audire: alio loco viden-
 di gratia est scissum: nusquam foramen est super-
 uacaneum. Quemadmodum etiam & pilorum
 generatio est necessaria: & vbi opus est: eorundem
 priuatio est commoda: generatio quidem vt ma-
 ximè demonstrauimus, in capite supercilijs ac

palpebris, priuatio verò, in partibus manuum internis ac pedum infernis. Nec verò musculus vsquam cum cute frustra coalescit, sed quibus in partibus id accedit, ob vsum necessarium (vt demonstrauimus) contigit. Quis igitur adeò est demens aut operum naturæ inimicus, qui non ex cæte statim, & ijs quæ primum occurrunt, artem opificis intelligat? Quis non statim animo concepit, mentem quandam esse, quæ vim habeat admirabilem, quæq; terras omnes peruadens, in omnes eius partes extenditur? Vbique certè animalia procreari videas, quæ constructionem habent admirabilem. Quanquam, quænam vniversi pars, terra est ignobilior? attamen mens quædam cernitur ad ipsam à corporibus superioribus peruenisse, quæ si quis contemplatus fuerit, statim substantiæ pulchritudinem admirabitur, primum ac maxime solis, post ipsum lune, deinde syderum: in quibus par est, quantum corporis substantia eis est purior, tantò etiam mētem inhabitare corporibus terrestribus meliorem ac perfectiorem. Cùm enim in limo, in colluie, in paludibus, in plantis fructibusq; putrentibus, animalia gignantur, quæ vires illius qui sese condidit ostendunt mirificas: quid de corporibus superioribus est putandum? Licet autem ipsam perspicias naturam vel ex ipsis hominibus, si Platonem, Aristotelem, Hipparchum, Archimedem, ac complures alios contempleris. Cùm igitur in tãta colluie (quo enim alio

nomin

nomine quis appellet id, quod ex carne, sanguine, pituita, ac bile utraque est conflatum?) mens gignatur a deo eximia, quantam eiusdem putandum est esse excellentiam in sole, luna, alijsq; syderibus? Mihi quidem dum hæc mente reuoluo, non exigua quædam mens eiusmodi per ipsum etiam ærem nos ambientem videtur esse extensa: fieri enim non potest, cum lucis ipsius solis sit particeps, ut non etiam vim ab ipso assumat. Nec dubito quin mihi sis subscripturus, si modo artificium, quod animalibus inest, diligenter ac iuste examinaris, neque (quod dixi) contraria de ipsius vniuersi elementis opinio, quam temerè quidam posuerunt, in hæseris. Nam si quis nulli sectæ addictus, sed libera sententia rerum considerationem inierit, cõspicatus in tanta carniũ ac succorum colluue tantam mentem habitare: cõspicatus item & cuiusuis animalis cõstructionem (omnia enim declarant opificis sapientiam) mentis, quæ homini inest excellentiam intelliget, tum opus de partium utilitate, quod prius exiguum sibi esse videbatur, perfectissimæ theologiæ verum principium constituet: quæ theologia multò est maior atq; præstantior, tota medicina. Non igitur soli medico opus de usu partium est vtile, sed multò certè magis medico philosopho, qui totius naturæ scientiam studeat sibi comparare, eumq; oportet ijs sacris initiari. Arbitror enim nullam gentem, neque hominum societatem, apud quos vlla deorum est re-

ligio, quidquam habere sacris Eleusinijs aut Semothacijs simile: ea tamen obscure docent, quae profitentur, naturae vero opera in omnibus animantibus sunt perspicua. Neque enim existimes in solo homine tantam inesse artem, quantam sermo superior explicuit: sed quodcumque aliud animal [dissecare] velis parem in eo artem opificis ac sapientiam reperies. Et quanto ipsum minus fuerit, tanto maiorem tibi admirationem excitabit, quod declarant opifices, cum in corporibus parvis aliquid insculpunt: cuius generis est, quod nuper quidam in annulo Phaetonta, quatuor equis innectum sculpsit. Omnes enim equi frenum, os & dentes anteriores habebant: quae equidem principio praexiguitate non videbam, prius quam spectaculum hoc incredibile ad claram lucem convertissem. Non tamen ne sic quidem partes omnes mihi apparebant, quo modo nec alijs plerisque. Quod si quis aliquando ipsas videre plane potuit, eas incredibili artificio esse concinnatas affirmabat. Nam & pedes sexdecim quatuor equorum numerabamus, quorum qui partes omnes oculis discernebant, mirabiliter articulatas esse asserebant. Quanquam horum quicquam opus crure pulicis praestantius non habebat. Nam praeterquam quod ars toti cruri pulicis inest dum ipsa vivit, alitur, atque augetur: maior adhuc alia quaedam esse videtur artis eius qui pulicem condidit, vis atque sapientia, quod ipsam.

ipsam nullo labore formet, nutriat, & augeat. Cum igitur ars tanta in tam abiectis animalibus appareat, quæ dixerit aliquis accessionis vice ab opifice fuisse facta: quantam eius vim ac sapientiam in præstantioribus inesse putabimus?

Multa remetitur, & de libri utilitate plurima narrat.

C A P. I I.

V Num igitur ex hoc opere, ac maximum hoc nobis accedit commodum non tanquam medicis, sed (quod eo est præstantius) tanquam scire aliquid cupientibus de vi ipsius utilitatis, * quam philosophorum nonnulli omnino esse negant, tantum abest, ut animalibus prospicere fateantur. Secunda autem utilitas est ad affectus partium, quæ intus in profundo corpore delitescunt, cognoscendos: quam ad rem actionis cognitio magnum habet momentum. Quemadmodum enim qui iam exploratum habet, quod crurum quidem actio est ambulatio: ventriculi autem ciborum concoctio: si quem viderit qui ambulare non possit, statim iudicat partem cruris aliquam esse affectam: in eo autem, qui aut non concoquit, aut malè concoquit, ventriculi: Ita qui nouit facultatem animæ ratiocinatricem esse in cerebro: deliria, phrenitidas, lethargos, manias, melancholias intelliget accidere, cum cerebrum, aut prima ratione, aut per

* Mallem
legere opi
ficis.

consensum afficitur. Quemadmodum autem in actionibus, sic & in utilitatibus res se habet. Ut enim ambulatio tollitur, si nervi ac musculi qui cruribus insunt, fuerint affecti: ita tollitur si os aliquod fuerit fractum, aut suo articulo dimotum ac luxatum. Si verò nescimus, quòd per ossa cruribus innitamur, haudquaquam scire possimus, quòd ossibus laesis, animal ledatur. Eoq; modo fit ut ad cognoscendum, quæ nam pars sit affecta, non minus conferat utilitatum, quàm actionum cognitio. Eadem est ratio & de futurorum prænotione. Quemadmodum enim ad ambulationem ossium quæ cruribus insunt, sanitas est utilis: sic qui affectus ijs incidunt incurabiles (ut in ijs luxationibus quæ cum ulcere accidunt) significabunt ambulationis noxam in futurum tempus insanabilem. Quin & si sine ulcere luxatio maneat insanabilis (quod accidit in coxendicæ luxationibus) præterquam quòd futuram necessario cruris claudicationem antè significabit, modum etiam ipsius talem fore indicabit, cuiusmodi Hippocrates in libro de articulis scriptum reliquit. Tertia præter prædictas, utilitas huius operis est, aduersus sophistas, qui nobis non concedunt crises morborum à natura fieri, quiq; ipsam, ullam animantium habere rationem pernegant. Cùm enim partium utilitates, sibi ignotas, nobis proponunt, in eo sperant se artem nature labefacturos, Hippocratemq; irrident, quòd nobis naturam

turam imitari, in ijs quæ ipsa per crisin facere consueuerit, præcipiat. Ob eam sanè causam cogimur & ipsi partium omnium vsus examinare, quæ etiamsi nihil ad affectuum dignotionem, aut futurorum prænotionem conferant, fructum tamen ex hoc opere medicus ad curationes maximè percipiet: quemadmodum & ex eo opere, in quo de actionibus disputauimus. Nam in partibus quibusdam scindendis, aut circuncidendis, aut abscindendis nempe quando corruptæ quodammodo fuerint, aut in eximendis sagittis vel iaculis infixæ: si partium utilitatem probè calluerit, præscribet quâsnam audaciter & securè, aut quas timide ac cautè incidere oporteat. Hæc tot ac tanta huius quod ad finem perduximus, operis commoda, liber iste velut bonus quidam ἱπώδης, explicat. Dico autem nunc ἱπώδης, non eum qui ἱπώδης, id est incantationibus utitur, sed quemadmodum apud poëtâs μεινούς (quos nonnulli lyricos appellant) in choris est Ἔγχοψὶ quædam, atque ἀΰσις γοφός: sic & tertius est ἱπώδης, quostantes ante deorum aras canebant, ut aiunt, hymnis deos celebrantes. Illi igitur librum hunc comparans, nomen ipsi illinc traductum im-

posui.

*